



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XX. Ex Platoniorum libris admonitum se esse ad quærendam incorpoream veritatem, non autem ad humilitatem: id sibi profuisse, quod ante Scripturam eos legerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

Serm. 98  
de temp.  
10. 10.

1 Cor. 11.

2 Ostendit utilitatem hæresum ex eo, quod improbatio hæreticorum doctrinam Catholicam magis illustret, melius enim veritas ex falsorum comparatione fulget, ut alibi ait. *Nam si doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco fidem Catholicam contradicentium obsidet impugnatione, ut fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apostolus dicebat: Oportet autem hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant inter vos. Triplex itaque est hæresum utilitas. I. Illustrant doctrinam Catholicam. II. Excutiunt torporem & otium Catholicis. III. Manifestant & probant veros fideles.*

C A P. XX.

*Ex Platoniorum libris admonitum se esse ad querendam incorpoream veritatem, non autem ad humilitatem: id sibi profuisse, quod ante Scripturam eos legerit.*

Rom. 1.  
20.

1. **S**ed tunc lectis Platoniorum illis libris, posteaquam inde admonitus, quærerem incorpoream veritatem, *invisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi, & repulsus sensi, quid per tenebras animæ meæ contemplari non sinerem: certus esse te, & infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi, & vere te esse, qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter: cætera vero ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Gariebam plane quasi peritus: & nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non*

non peritus sed periturus essem. Iam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea : & non flebam, insuper & inflabar scientia.

2. Vbi enim erat illa ædificans Caritas à fundamento humilitatis, quod est Christus Iesus? Aut quando illi libri me docerent eam? In quos me propterea, priusquam scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere: ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem. Et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea: discernere atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem & confessionem; inter videntes quo eundum sit, nec videntes qua, & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed & inhabitandam. Nam si primo sanctis tuis literis informatus essem, & in earum familiaritate obdulcuissem mihi, & post in illa volumina incidissem, fortasse aut abripuissent me à solidamento pietatis: aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.

## V S V S.

Et si magno adjumento Augustino fuerint libri Platoniorum, ad cognoscendam substantiam Dei incorpoream, triplex tamen periculum in illis advertit. I. *Superbia*, incepit enim velle videri sapiens & inflari scientia, qua Philosophi evanuerunt. II. *Seductionis*, possunt enim incautum avertere à solidamento veræ pietatis ac fidei. III. *Falsæ opinionis*, quasi ex illis solis salus possit addisci. In quæ duo posteriora pe-

M

ricula

ricula S. D. putat se fuisse venturum, si poss  
 & scripturas sacras legisset libros Platonicos.

In hæc eadem præsertim 1, & 3, incidunt illi, qui  
 Dei amorem, mundi contemptum, perfectionis  
 studium, ex Plutarcho, Seneca, Epiclæto, Pla-  
 tone, aliisque Philosophis moralibus conantur  
 addiscere, & alios docere, non parvo suo & alio-  
 rum malo. Stoicum enim factum, & spiritua-  
 lium librorum contemptum, nimiamque Eth-  
 nicorum Scriptorum æstimationem inde colli-  
 gunt, nec ad solidæ virtutis notitiam vel usum  
 perveniunt. Ratio est, quia *fundamentum humili-  
 tatis in scriptis Ethnicorum deficit, quam primus Chri-  
 stus docuit*, hujus apud gentiles Philosophos men-  
 tio, & notitia est nulla.

## C A P. XXI.

*In Scripturis sanctis reperisse se humilitatem,  
 & salutis viam ignotam Platonice, qui  
 ostendunt patriam, non viam eo ducen-  
 tem.*

1. **I**Taque avidissime arripui venerabilem  
 stylum spiritus tui, & præ cæteris Apo-  
 stolum Paulum: & perierunt illæ quæstio-  
 nes, in quibus mihi aliquando visus est ad-  
 versari sibi, & non congruere testimoniis  
 legis & prophetarum textus sermonis ejus.  
 a Et apparuit mihi unà facies eloquiorum  
 castorum, & exultare cum tremore didici.  
 Et cœpi, & inveni, quicquid illic verum  
 legeram. Hæc cum commendatione gratiæ  
 tuæ didici, ut qui videt, *non se gloriatur, quasi*  
 non acceperit; non solum id, quod videt, sed  
 etiam ut videat. Quid enim habet, quod  
 non accepit? Et ut te, qui es semper idem,  
 non solum admoneatur, ut videat: sed  
 etiam sanetur, ut teneat. Et qui de longin-  
 quo

\* Cor. 14,  
 2.